



zdo casu globus elasticus eadem celeritate resiliat, qua incurrebat.

Ad. IV. In ludo tudiculari globus duplicis generis motu fertur, altero lationis, qui juxta citatum corollarium eliditur, altero circulari circa proprium axem efformando circulos parallelos; hac igitur rotatione fit, ut globus post conflictum aliquantum progrediatur. Nec obest, quod progressus globi praeter motum rotationis etiam lationis motum involvat, is enim non ex eo est, quod non omnis lationis motus per vim elasticam globi quiescentis extinguatur, sed ex resistentia plani in quo rotatio peragitur; finge enim globum rotari in vacuo aut etiam libero aere, rotabitur sine motu translationis; at vero dum in plano rotatur, illud velut a se repellit, & ab eodem in partem oppositam tamdiu repellitur, donec per frictionem & motus rotationis & proveniens ex rotatione motus lationis omnis extinguatur.

Ad V. Defectuum istorum ratio ex accidente petenda est; neque enim invenies corpus quod omni elaterio careat, neque hoc in elasticis perfectum datur, qua utraque conditione dempta calculus aberret necesse est. Accedit aeris resistentia, superficierum inaequalitas, figura corporum inepta &c., quibus motum aut impediri, aut variari liquet. Adde tremorem partium, quem ex conflictu oriri, sonus manifestat.

Ad VI. Quam hic pro elasticis legem ponit laudatus philosophus, nec ratione, nec experimentis stabilit.

### CAPUT III.